

tiam (1). Adeo stolidos se ostendunt increduli dum catholicam fidem aggrediuntur!

CAPUT VIII.

DE JUDICIO EXTREMO.

Vidimus superius Calvinum impugnantem veritatem iudicii particularis, ut adstruat solum iudicium universale, quod et extremum à nobis dicitur. Tenemur hic ostendere veritatem iudicii universalis seu extremi adversus recentiores protestantes, præsertim verò adversus rationalistas, qui nunc timent solum iudicium particulare, ut excludant universale. Præmittimus autem I. incertum esse tempus et locum hujus iudicii, quàm neutrum nobis revelare Deus voluerit (2). II. In hoc iudicio publico ac solemnè omnium prorsus ac singulorum hominum, qui à mundi exordio usque ad eum exitum extiterunt aut extituri sunt, actiones esse discutendas. III. Modum hujus discussionis ac manifestationis esse prorsus diversum ab eo quem passim nobis animo seu potius imaginatione fingimus, ut ex iis quæ dicitur sumus juxta patrum doctrinam et probata theologorum principia manifestum fiet. Sed ut ad dogma ipsam jam accedamus, sit

PROPOSITIO: Post corporum nostrorum resurrectionem instituetur à Christo universale omnium hominum iudicium.

De fide est, ut ex omnibus fidei nostræ symbolis constat. In Symbolo enim apostolico credere profiteamur quod « Christus venturus est judicare vivos et mortuos, » et in Symbolo Athanasiano additur: « Ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis et redditi sunt de factis propriis rationem. »

Hunc porrò fidei nostræ articulum apertè tradidit Christus ipse Matth. 25, 31, dicens: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ: et congregabuntur ante eum omnes gentes, etc.*; Apostoli ut plurimum ab hujus futuri iudicii denuntiatione auspicabantur Evangelii prædicationem. Ità Petrus Act. 10, 42, et Paulus ib. 17, 31, et rursùm 24, 25, ac in Epistolis passim, præsertim verò 2 Cor. 5, 10, inquit: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Et Apoc. 20, 12: *Et vidi, inquit Joannes, mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt... et iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.*

(1) Catéch. philos. l. c. § 5, n. 469. Conf. etiam de hoc argumento, *Il regno di Dio, ossia l'universale resurrectione dei trapassati libri tre dell' Ab. D. Gius. Angeli.* Roma 1833, in-4.

(2) Conf. Estium in 4 sent. dist. 48, § 4, ubi de loco disserens in quem Christus venturus sit ad iudicium universale instituendum scribit: « Sed quis sit iste locus, certò traditum non habemus, cum nec adeo multum referat id à nobis sciri. Multorum tamen est opinio nequaquam improbabilis, in valle Josaphat à universale illud iudicium futurum; » quod deinde variis argumentis confirmat, quæ ibidem recoli possunt.

Hisce positis, si quis in medium proterre vellet auctoritates ac testimonia Patrum sive Græcorum, sive Latinorum ad hanc veritatem magis magisque corroborandam, quam semper Ecclesia professæ est, is supervacaneam prorsus operam navaret. Certalim enim ipsi magnum istud spectaculum extollunt ac celebrant, ex quo tanta in Deum gloria proveniæt, justis laus, reprobis ignominia accedet. Hinc divinæ providentiæ ordo et quasi tela evolvitur atque expanditur. Hinc impiorum occultæ machinationes et artes, justorum autem afflictiones et ærumnæ in apertam prodibunt lucem. Hinc denique intimi cordis recessus in omnium oculos incurrunt. Spectaculum profectò quo nullum Deo dignius excogitari potest (1).

Difficultates.

I. Obj. : In hac doctrinâ, quæ à litteris dictorum è Scripturâ sacrâ ad singulas res probandas adhibitorum haud multum abhorret, nonnulla quidem insunt, quæ rudiorum animos metu salutari perstringere et numen tanquàm iudicem forensis oculis quasi objicere queant; nihilominus iisdem ferè et gravioribus etiam laborat difficultatibus, quàm quibus doctrina illa de resurrectione. Namquæ primò formula illa, cujus origo ab Judæorum seniorum commentis ac mythicis purioris doctrinæ involveris ducitur, huic ipsi ab iisdem scriptoribus sacris proposita planè repugnat, quippe quàm nulla adsit causa, cur eum, cui sors jam statim post mortem sua contigerit, denuò iudicatum iri statuendum sit. Deinde persuasio, quam scriptores sacri magistro divino tribuunt, quamque ipsi præ se ferunt, de reditu Messiaë visibili proximè expectando, nonnullis illius effatis (Jo. 5, 18; Luc. 16, 22, seqq.; 17, 20, seqq.; Jo. 18, 36, et alibi) planè repugnat neque eventu comprobata est. Ipse Jesus tempus magnæ illius rerum conversionis se ignorare proessus est, teste Marco 13, 32. Rectè inde concluditur, omnem istam persuasionem de ejusmodi reditu Messiaë, scilicet Dei ad iudicium instituendum ex oratione certâ prophetica et tropica, ad imagines de Messiaë Judæis usitatissimas compositâ, quâ Jesus rem christianam aliquandò victricem et adversariorum pœnas futuras fortè adumbravit, à discipulis sensu quidem proprio *perperam intellectam* prodiisse, nec nisi ratione quâdam symbolica jam à nobis ad vulgi usum posse transferri ita quidem, ut omnis hæc narrandi forma ad eam sententiam universalem ei substratam revocetur, quâ quemlibet hominem doctrinâ Christi imbutum ad vera hujus præcepta accommodatè iudicium olim subiturum, ac sortem vitæ futuræ nacturum esse statuimus. Postremò negari nequit, iudicii Messiani propriè intellecti expectationem à primis inde Ecclesiæ christianæ temporibus, variis superstitionibus fanaticis anam præbuisse; unde plurimum detrimenti cepit vera virtus atque religio. Quibus argumentis benè perpensis subsistere licet in simpliciore Scripturæ sacræ sententiâ, quæ optimè convenit cum rationis ideâ numinis sanctissimi, statim à morte aliam sortem hominibus probis,

(1) Conf. Less. l. c.

aliam improbis justissimo rerum ordine per gradus tribuentis (1). Ergo. — Resp. : Nego antecedens. In primis doctrina de iudicio extremo ac universali non solum non abhorret, ut adversarii loquuntur, à Scripturæ dictis, sed apertè omnino ab iisdem Scripturis traditur et inculcatur. Difficultates verò quibus premittitur, nullius planè momenti sunt ac facillè disjiciuntur, prout eas disjecimus quæ adversus resurrectionem proferebantur. Cùm rationalistæ aliquot phrases congererint, e. g., *pro rudioris ævi ingenio, mythicam narrationem aut poeticam, Jesum sese accommodasse vulgi ingenio, Apostolos magistro sententiam tribuisse ab ipsis perperam intellectam*, aliasque ejusmodi, quas ad nauseam obtrudunt; cùm quædam indicaverint Scripturarum loca, quæ ut plurimum ad rem præsentem non faciunt, aut nonnullas aliorum rationalistarum sententias attulerint, putant se difficultates insolubiles proposuisse, ob quas à receptâ omnium seculorum fide discedendum omnino sit. Facillè tamen rationalismus veluti levis nebula dissipabitur priusquàm vel minimus catholice fidei articulus permoveatur. Verùm ut ad singula quæ objecta sunt propius accedamus: Ad primum nego; primò doctrinam de extremo iudicio, quam adversarii vocant *formulam*, à Judæorum posterioris ævi commentis, ac mythicis involveris purioris doctrinæ originem trahere, sed, ut vidimus, ex Christo ipso, qui non uno in loco, imò verò constanter prædicat, atque ab ipsis apostolis, qui eam à Christo acceperunt. Nos documenta attulimus; rationalistis verò satis fuit propriam assertionem obtrudere. Secundò negamus doctrinam hanc pugnare cum doctrinâ propositâ ab iisdem scriptoribus sacris. Hanc enim pugnam nemo unquam vidit, imò nec suspicatus est. Quæ enim pugna fingi in eo potest, quod homines sigillatim statim post obitum iudicentur, prout homines privata sunt individua, ut illicò consequantur promeritam sententiam præmii aut pœnæ, et quidem in adæquatam, ut expositum est, ac demùm omnes simul publicè ac solemniter tanquàm publicæ societatis membra, atque ut completam et adæquatam remunerationem consequantur? Falsò præterea supponunt adversarii hominis solius causâ ejusmodi iudicium institutum iri, non autem etiam, imò præcipuè, ad Dei gloriam juxta ea, quæ in probationibus dicta sunt (2). Ad secundum, nego sacros scriptores tribuisse Christo

(1) Wegsch. §, 199.

(2) Hanc ipsam difficultatem jam præoccupaverat S. Th. in suppl. q. 88, a. 1, 3 diff.; respondet autem ad 3. « Universale iudicium magis directè respicit universalitatem hominum, quam singulos judicandum; quamvis ergo cuilibet homini ante iudicium erit certa notitia de sui damnatione, vel præmio; non tamen omnibus omnium damnatio vel præmium innotescet. Unde iudicium necessarium erit. » Conf. Catechism. Roman. part. 1, cap. 8, n. 4 seq. qui quinque rationes profert, quibus ostendatur privato iudicio generale subjiciendum esse. Ac prima est, ut augmentum præmii aut pœnæ percipiant mortui ex malè aut rectè factis; altera, ut pii laudem, impij ignominiam consequantur; tertia, ut corpora vel præmium vel pœnam cum animo ex æquo participant; quarta, ut divinæ providentiæ ratio omnibus constet;

PERRONE I.

persuasionem de proximo sui ac visibili reditu, aut iis ipsis ejusmodi persuasionem inhæsisse. Christus nunquam voluit discipulis suis tempus certum reditus su patefacere, ideòque non poterant ejusmodi persuasionem aut Christo tribuere aut ipsi animo concipere. Si quem verò curiositas tangeret recolendi loca ab adversario indicata ad ostendendam pugnam, quam ipse fingit, inter hanc quam vocat apostolorum persuasionem et Christi effata, mirabitur incredibilem hominis rationalistæ audaciam, cum nec unus sit qui ad præsens argumentum spectet.

Quòd si Marci 13, 32, inquit Christus: *De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius*, in ordine, ut aiunt, ad manifestationem id protulit, quemadmodum patres omnes adversus Arianos, qui hoc ipsum objecerant, exposuerunt. Neque enim Filium, qui in sinu Patris à totâ aeternitate est, hic dies latere potuit. Sed hæc difficultas provenit ex systemate Ariano, Sociniano et Rationalistico. Sublato verò fundamento, concidunt suâ sponte superstructæ difficultates seu conclusiones, quas indidem deducit adversarius, tum scilicet ejusmodi persuasionem profuisse ex perperam intellectâ Christi doctrinâ; ita ut post 14 secula quod non intellexerunt Apostoli à Christi ipso odocti et à Spiritu Sancto, tandem aliquando Rationalistæ intellexerint; tum revocandam esse doctrinam de iudicio extremo ad speciem victricis gentis Christianæ, et pœnarum quas Christi adversarii essent laturi. Hæc enim non sunt nisi somnia, quæ nemini sanæ mentis Wegscheider cum suis asseclis persuasere debet.

Ad tertium, cùm ignorem de quibusnam superstitionibus loquatur adversarius, quibus expectatio iudicii Messiani ansam præbuit, satius erit expectare ut eas enumeret. Forsan alludit ad sanguinem, quem Christi martyres effuderunt, aut ad illos qui monasticum institutum amplexi sunt, quia pro his hominibus quidquid virtutis christianæ est, et heroicæ fortitudinis, superstitionem sapit (1). Nescio pariter quodnam detrimenti capiat vera virtus atque religio ex iudicii expectatione; nisi indicare velit neminem tunc fore, qui stipendiis adduci velit ad disseminandam impietatem sub bibliorum velamine, in quo certè magnum foret detrimentum. Postremam denique consecutionem negamus, quod nempe probè perspectis argumentis alatis cuiquam liceat subsistere in simpliciore, ut ipse vocat, Scripturæ sacræ sententiâ. Argumenta enim producta nullis planè roboris sunt, ita ut nec argumentorum nomen mereantur, cum non sint nisi vel putida mendacia, vel gratuita asserta. Ejusmodi autem argumenta neminem profectò permovebunt à doctrinâ quinta demùm ut boni perseverarent et mali resipiscerent.

(1) Hæc spectat sapientissima S. Greg. M. animadversio « Justorum simplicitas deridetur; quia ab hominibus mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul dubio stultum putatur: et quidquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat. » (lib. 10 Moral. in cap. 22 Job.)

(Vingt-neuf.)

illa quam non solum scripturae, Sed universa antiquitas tradiderunt, ac constans semper ac firma fuit omnium Christianorum fides atque professio.

II. Obj. : Dubitari nequit quin hic articulus formulis et allegoriis Judaicis de adventu Messiae mortuos resuscitaturi aequae sub iudicium vocaturi tum modo ac rationi humani iudicii sit accommodatus. Hinc est quod commemorantur nubes, quibus Messias venitur (Matth. 24, 50; 26, 64, coll. Dan. 7, 18), archangelus cum tuba (1 Thess. 4, 16), et omne satellitium angelorum (Matth. 25, 51; 2 Thess. 1, 7), convocatio omnium hominum (Matth. 13, 41, 24, 51) et defunctorum et adhuc viventium, qui quidem aequae mutabuntur ac dudum mortui (1 Cor. 15, 15; 1 Thess. 4, 16, 17, coll. Philipp. 3, 21), tribunal iudicis (Rom. 14, 10), libri censurarum aperti et inspecti (Apoc. 20, 12 seqq.), singulorum examen atque sententia pronuntiata (Matth. 25, 51, seqq.), qua pii caelestis regni gaudiis, epulis caelestibus (Matth. 8, 11; Luc. 22, 18, 50.), digni ac fruituri declarabuntur (Matth. 25, 58), impii autem cum diabolis flammarum infernarum suppliciis aeternis tradentur (Matth. 25, 41; Marc. 9, 48; 2 Thess. 1, 9 seqq.). Ac posteaquam iudicium illud, quod statim post Hierosolymorum excidium (Matth. 24, 29; Marc. 13, 24 seqq.; Luc. 21, 5 seqq. 27) instituendum, propè instare disertè monent (1), peractum sit, mundum hunc igne interiturum, aliumque oriturum esse, novam Hierosolymam in novam terram e caelo demissum iri, aliaque ejusmodi perhibent. Haud obscure tamen significatur, aëvo jam apostolico, doctrinam illam mythis fuisse involutam (2 Petr. 1, 16) (2). Intelligi demum nequit, quomodo tanta hominum multitudo possit simul iudicari; quomodo possit unusquisque facta propria in mentem revocare (3). Ergo. — Resp. : Dist. art. : Id est imaginibus sensibilibus et captui nostro accommodatis iudicii articulus proponitur ut in aliis passim fit, conc. ; allegoriis Judaicis, ita ut articulus ipse totus fictitius sit, atque inter mythos amandandus, nego. Duo enim permiscet adversarii, quae apprimè secerni debent, existentia scilicet alicujus veritatis cum modo seu forma, qua eadem veritas exhibetur atque proponitur. Porro existentia alicujus veritatis est omnino independens à forma qua proponitur; cum interdum fieri possit, ut nonnisi imaginibus symbolicis enuntiari seu offerri queat, cujusmodi sunt veritates abstractae et quae superant captum nostrum. Hinc Dei ipsius operationes sive exercitium suorum attributorum Scripturae exhibent sub formulis tro-

(1) Nempe Matth. 16, 28; 24, 50; Jo. 21, 25; 1 Jo. 2, 18; Rom. 8, 19 seqq.; 1 Cor. 15, 51 seqq.; 2 Cor. 5, 4 seqq.; Phil. 13, 20; 1 Thess. 1, 10; 4, 15-17; 1 Tim. 6, 14; Tit. 2, 13; Heb. 10, 25-27; 1 Pet. 4, 7; 2 Pet. 3, 10-12; 1 Jo. 2, 18; Apoc. 22, 7, 12, 20. Ubi animadvertendum tamen est plerosque ex his textibus non esse ad rem, aliorum autem diversum omnino esse sensum ab eo, quem adversarius eisdem tribuit, ut cuilibet eos vellevit percurrenti constare poterit.

(2) Wegsch. § 196.

(3) Sic alii increduli passim. Conf. Feller l. c.

picis, eidem tribuunt affectus quos vocant anthropopathicos, poenitentiae, e. g., irae, vindictae, etc., cum tamen nil tale in Deo sit. Numquid propterea ejusmodi veritates tanquam totidem mythos rejicere debemus sub illis imaginibus adumbratas? Idem propterea contigit circa iudicii extremi articulum. Nuda veritas est, quod Christus olim venturus sit ad iudicium instituendum actionum nostrarum ac retributurus pro uniuscujusque meritis. Caetera autem possunt esse imagines quibus obijciatur veluti sub oculos nostros ratio, ordo et effectus ipsius iudicii ad altius mentibus nostris ejusmodi veritatem figendam. Dixi possunt, neque enim ulla reperitur repugnantia, aut aliquod inconveniens, si dicamus reipsa Christum nube circumdatum venturum esse prout eadem nubes eum in caelum ascendentem suscepit, Act. 1, 9, praemittendum fore archangelum cum tuba, in corpore adscititio, ut suo loco exposuimus, angelos Christum comitatos (1). Convocandos autem homines esse à quatuor ventis, seu mundi plagis, ut Christus inquit, nemo inficias ibit, nisi qui velit fidem Christo detrectare, aut qui putet homines esse totidem entia spiritalia; si enim homines propriis corporibus donabuntur, quod superiori propositione ostendimus, debent profectò moveri de loco in locum ut iudici Christo se sistant. Quod additur de imutatione tam vivorum quam defunctorum nihil dicitur in locis adductis, sed Philipp. 3, 21, tantum generatim dicitur de Christo quod reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae, quin mentionem faciat sive vivorum sive mortuorum. Quod si electorum corpus per resurrectionem dotes gloriosi corporis acquirat, de corpore reproborum contrarium omnino asserit Apostolus, dicens 1 Cor. 15, 51: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Ex quibus verbis non solum mendacii et falsitatis arguitur adversarius, sed discimus praeterea longè probabilius esse omnes planè homines morituros esse, etsi aliqui ad breve tempus. Quia si omnes resurgemus, ergo omnes moriemur (2). Quae dicuntur de tribunali, de libris censurarum et examine, jamdiu preoccupata fuerunt ab Ecclesiae Patribus, qui monuerunt haec nonnisi figurato sensu esse accipienda: etenim « iudicat Christus, inquit S. Ambrosius, cognitione cordium, non interrogatione factorum (3). » Manifestante se Deo, nullum amplius velum operiet actiones et facta hominum. Quod non obscure declarat Apostolus ipse scribens Rom. 2, 15: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die,*

(1) Conf. Less. l. c. necnon Estium l. pariter cit.

(2) Reol. superius dicta.

(3) Lib. 10 in Luc. c. 22, n. 49. Conf. Ennar. in Ps. 1, n. 52. Sic etiam S. August. lib. 20 de Civ. c. 14: « Quaedam igitur, inquit, vis est intelligenda divina, qua fiet ut cuique opera sua, vel bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mirà celeritate cernantur; ut accuset vel excuset scientia conscientiam; atque ita simul et omnes et singuli iudicentur. Quae nimirum vis divina libri nomen accepit. In ea quippe quodam modo legitur, quidquid ea faciente recolitur. »

cum iudicabit Deus occulta hominum. Nihil enim est opertum, ait Christus, quod non revelabitur, et occultum quod non scietur. Quibus docemur omnium et singulorum conscientias divinà illustratione patefactum iri, ut cuilibet cognoscat distinctè tum bona ac mala propria, quae cogitatione, verbis aut opere patravit, tum bona omnia ac mala quae caeteri gesserint (1); et quidem intra brevissimum temporis intervallum omnia absolventur. Quod si Christus visibilis apparebit, visibili pariter angelorum agmine stipatus, longè probabilius sensibili voce sententiam proferet, quod Patres et interpretes passim docent. Neque in hoc habent adversarii quod reprehendant, cum ipsa rerum analogia id exposcat. Neque est quod Rationalistae rideant dum vident aeternam beatitudinem proponi sub imagine convivii. Quis enim nescit Deum homines alloquentem infirmitati nostrae consuluisse, dum quae omnem mentis nostrae aciem excedunt per symbola proposuit? Hinc modò domui, modò regno, modo convivio aliisve laetioribus imaginibus caelestem beatitudinem Christus comparavit (2). Interdum verò ea in Scripturis occurrunt, quae sensibiles ejusmodi imagines corrigunt, ac puriorem exhibent ejusdem aeternae felicitatis notionem (3). Quare haec dissimulant Rationalistae ut contemptum in sacra Biblia disseminent?

Falsum omnino est, quod obtrudunt de extremo iudicio immediatè post Hierosolymorum eversionem subsequuto; neque id evincunt loca Scripturarum, quae adducuntur. Tum quia incertum adhuc est, num Christus in citatis locis loquatur de solà Hierosolymorum eversione, an etiam de extremo iudicio ac mundi fine (4); tum quia, hoc etiam admissum, nunquam Christus dixit illic post ejus modi excidium subsequutum esse aut iudicium aut mundi finem. Sermo enim ipsius tria simul complexus est, urbis devastationem, secundum ipsius adventum in terras visibilem, ac demum iudicium et mundi finem (5). De primà affirmavit: « Non praeteribit generatio haec donec omnia fiant » (6). De reliquis nullum tempus determi-

(1) Conf. Less., de Perfect. div. l. 15, c. 22, n. 157, seqq.

(2) Conf. Bellarm. de aeterna Felicitate sanctorum libri quinque, ubi piè ac doctè totum hoc argumentum prosequitur. Et Bened. Piazza S. J. dissert. de Paradiso, Panormi 1762, par. 1, c. 1, seqq.

(3) Conf. 1 Cor. 15, 12; 2 Cor. 5, 6, 7. Jo. 16, 22, et alibi passim. vid. AA. cit.

(4) Conf. Phil. Lallemand S. J. Riflessioni morali, etc., sul nuovo Testam. trad. dal franc. Roma 1791, tom. 1 ad cap. 24, v. 29, S. Matth., ubi contendit hoc caput nullo modo referendum esse ad iudicium finale perinde ac loca parallela S. Marci et S. Lucae, sed tantum ad proximum urbis excidium.

(5) Conf. Maldon. in h. l.

(6) Ut magis pateat ejusmodi hominum de Christo et apostolis sentiendi ratio, apponemus verba Bohme, qui in op. de Spe Messianà Apostolorum, Ital. 1826, p. 101, scribit: « Censemus istam expectationem (reditus propè instantis) à Jesu, nisi quod hic excidium urbis Judaeorum templique praedivinerit, illi quidem adventi Messiae anumeratum, non excitam fuisse in Apostolorum animis, quippe quos è gentis suae superstitione ea tenuerit, sed totam aliquatenus, quoniam evelli requiret, et quantum posset fieri

navit. Sanè juxta adversarios, Christus apertè professus est se ignorare iudicii diem; quomodo igitur potuisset in istorum hypotesi hunc ipsum diem tam accuratè determinare, ut dixerit intra eandem generationem et immediatè post urbis devastationem institutum iri iudicium et mundi exitum statim subsequutum? Vetus adagium est: *Mendacem oportet esse memorem*. Caeterum praestat haec confirmare auctoritate interpretis adversariis nostris minimè suspecti, Kuinzelii scilicet, qui in suo Commentario in libros nov. Test. historicos ad c. 24 Matth., recensitis non paucis protestantium exegetarum expositionibus, quae in eundem sensum collinant, ita concludit: « Quo verò praconceptae eorum (discipulorum) opinioni occurreret, cum eversione templi reipublicaeque Judaeorum conjunctum fore initium regni Messiani tenerent. . . ita respondebat, ut appareret, finem mundi seriùs secuturum esse; et ut hic mundi interitus ab interitu civitatis Judaeorum satis perspicuè discernetur, profitebatur se ad excidium Hierosolymorum, ad poenas de Judaeis sumendas, suorumque à Judaeorum persecutionibus liberationem (ἀπαλῶσθαι) Luc. 21, 28) ita rediturum esse, ut ipse non conspiceretur, majestatem tamen suam ita se manifestaturum esse, ut ipsum penè oculis videre possent (adventum Filii hominis fore fulguris instar, Matth. 24, 27, sicuti non dici possit, fulgur hic vel ibi esse, ita neque de Messia, eum hic vel ibi esse, vid. Matth. 24, 25, 27); sed ad finem mundi, et inaugurationem regni Messiani solemnem, non tamen talis, qualem expectarent, serediturum esse (25, 31 seqq.), ita ut conspiceretur et innotesceret ipsius majestas omnibus. » Quae deinde sigillatim enarrat.

Cum igitur partim falsa ac calumniosa, partim dubia ac incerta sint, quae adversarii Rationalistae obtrudunt ad elevandam iudicii extremi fidem, atque ad arguendum falsitatis Apostolos et Christum ipsum, spontè fluit et impiam et falsam esse conclusionem de mythis quibus aiant obvolutam doctrinam istam ab ipso aëvo apostolico, seu potius ab ipso Christo. Quae autem de mundi conflagratione ac novà Hierusalem e caelo demittenda allata sunt, cum ad praesens argumentum non spectent, missa facimus. Haec autem latius produximus, ut specimen quilibet habeat impietatis istiusmodi hominum, ac simul eorum levitatis, qui magistri ac pastores animarum apud protestantes audiunt. Ad id verò, quod postremo loco objectum est ab incredulis aliis, nempe philosophis nuncupatis, quomodo scilicet possit iudicari simul tanta hominum multitudo, et quomodo patrata opera omnia in mentem revocari queant, responsio patet ex iis quae nuper diximus de ratione qua iudicium istud Dei virtute perficitur, quin necesse sit crambem hic etiam repetere.

Et haec de Deo creatore, prout nobis praestitimus, dicenda erant ad complectendam tum angelorum, tum mundi hujus adspectabilis, tum demum hominis ipsius

emendatam et ad bona, quibus ipse Jesus utebatur, consilia adjuvanda atque perficienda adhibitam.

creationem, ejus diversa fata ab ejus origine auspiciantes persecuti sumus usque ad interitum ac sortem, quæ ipsum in æternum manet pro diverso cujuslibet statu ac merito. Quare, ut verbis S. Augustini tractatum absolvamus, quare ipsum donum Dei cum Patre et Filio æquè incommutabile colere et tenere nos convenit: unius substantiæ Trinitatem, unum Deum à quo sumus, per quem sumus in quo sumus: à quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, à quo perire non permissi sumus: principium ad quod recurrimus, et formam quam sequimur, et gratiam quæ reconciliamur: unum Deum quo auctore conditi sumus, et similitudinem ejus per quam

TRACTATUS DE INCARNATIONE.

PROOEMIUM.

Manifeste magnum est pietatis sacramentum, inquit Apostolus, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria (Tim. 3.16). Ast ipsa magnitudine sua mysterium hoc imbecilliorum oculis perstrinxit, qui Dei opera ex proprio sensu dimetiri solent. Quare quovis tempore acerrimi dominicæ incarnationis hostes prodierunt. In duas classes disperuntur: alii enim ipsam penitus rejiciunt, alii germanam dominicæ incarnationis fidem labefactare adnituntur. In primo censu veniunt Hebræi et increduli, et qui his fere annis iis suppetias tulerunt rationalistæ; in altero vero hæretici diversæ denominationis.

Cum nobis negotium sit adversus utrum-

PARS PRIOR

De Messia adversus Hebræos.

Quæ ad Messiam doctrinam referuntur, revoari possunt ad ipsius promissionem et expectationem, ad ejusdem adventus epocham, munia et officia, ad personam denique in qua hæc omnia effectum sortita esse conspiciuntur. De singulis propterea totidem capitibus ex ordine agemus.

CAPUT PRIMUM.

DE MESSIE PROMISSIONE ET EXPECTATIONE.

Duplex distinguitur error circa ejusmodi articulum, quorum alter eorum est, qui negant unquam fuisse a Deo Messiam promissum atque ab Hebræis expectatum; alter vero est eorum, qui, utroque dato, tum scilicet Messiam promissione tum expectatione, sub Messia tamen nomine non peculiarem ac determinatam personam, sed quemlibet temporalem liberatorem designari autumant. Primum adstruunt illi omnes ex Germania præsertim (b), qui nuspam in sacris litteris,

(b) Jam sub finem seculi elapsi, quo longe lateque cuncta innovandi cupido et receptæ fidei fundamenta evertendi furor in Germania animos protestantium invaserat, ac diffundi cœperat, hoc commentum ortum habuit, opinionem scilicet de venturo Messia non incidisse Hebræis ante Davidem; tum vero sub hoc bellicosissimo rege, cum eorum nomen et potentia valde excrevisset, in spem eos venisse fore ut totius terrarum orbis potirentur imperio; atque hunc regem suum, sub quo istud futurum esset, suum sibi constituisse Messiam solo imaginationis æstu ductos. Scri-

ad unitatem formamur, et pacem quæ unitati adhærens: Deum qui dixit, Fiat; et Verbum per quod factum est omne quod substantialiter et naturaliter factum est; et donum benignitatis ejus, quo placuit et conciliatum est auctori suo, ut non interiret quidquid ab eo per Verbum factum est: unum Deum quo creatore vivimus, per quem reformati sapienter vivimus, quem diligentes et quo fruente beatè vivimus: unum Deum ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula (1).

(1) De verâ Religione, col. 200, l. 6.

que hominum genus, ideo majoris perspicuitatis gratia tractationem nostram in duas præcipuas partes dividimus, in quarum priori ea omnia complectimur, quæ ad Messiam referuntur, in posteriori, quæ ad Christum ipsum seu incarnatum Dei Verbum ac totius mysterii œconomiam spectant.

Si qua porro est theologiæ portio, quæ curas nostras, studium ac sedulitatem postulet, primas profecto hæc sibi vindicat, sive adversariorum numerum, impetus atque constantiam spectes, sive rei ipsius, de qua agitur, gravitatem atque difficultatem. Deo propterea auspice, magna animorum alacritate et contentione ad propositum nobis fidei certamen descendendum est ab eo auspiciantibus quod primo loco proposuimus.

multo vero minus in Pentateucho ejusmodi promissionem reperiri affirmant, Messiam autem expectationem non esse nisi consolatoriam quamdam spem postremis judaicæ reipublicæ temporibus invecram exasperam intellectus obscurioribus quibusdam prophetarum locis. Ex hoc principio alter prodiit error, quem non ita pridem adstruxit Salvador, qui contendit nullum peculiarem ac de-

psit integrum librum de hoc argumento Henricus Stephanus, qui editus est Norimbergæ an. 1787.

Imò eo res progressa est, ut Harlemi in Hollandia societas theologorum an. 1792. præmium proposuerit ei qui melius solvisset problema: extente prophetiæ in V. T. ipsum Christum proprie concernentes. Scriptum porro super hoc argumento societati obtulit Jo. Konyenburg, quo negavit ejusmodi existere prophetias, ac præmium tulit. Hæc autem lucubratio postea typi edita est; cumque eam recensisset Eichhorn Biblioth. suec. t. VII. p. 354. præmissa ejusdem historia et occasione, addit, rem hanc, de qua in Hollandia ejusmodi dubium vigerat, nullam in Germania excitationem fuisse questionem: de qua nihil novi jam posset dici; quæ plene discussa summa cum libertate jam a quinquennio hic defensa esset. Cf. Jo. Nep. Alher e Sch. Pii Institut. hermeneut. Scripturæ Sacræ Pestini 1817. T. I. Prologomena, p. 40. seq. Idem paradoxum de consolatrice spe concepta a Judæis de Messia subsequentibus temporibus jam pridem Voltaire effutierat in op. « Fragments sur divers sujets par ordre alphabétique, art. Messie, opp. edit. Genev. 1777. t. XXVIII.

terminatum Messiam in lege promitti, sed in genere quemcumque temporalem salvatorem, qui populum israeliticum a servitutis et oppressionis statu in libertatem vindicaverit atque tutaverit. Ex quo infert tot jam advenisse Messias, quot populo suppetias tulerunt, eumque liberarunt non solum ex Hebræorum gente, verum etiam ex exteris gentibus licet idololatris, cujusmodi inter cæteros fuit Cyrus, qui in scripturis Christi seu Messiam nomine donatur. Quo sensu vere dici posset tum Messiam advenisse, tum adhuc esse venturum (a).

Ab his parum abludunt Sansimoniani, qui fabulantur per Messiam non significari nisi quemlibet politicæ libertatis assertorem ac propagatorem, vel etiam humanæ naturæ moralem restauratorem, qui multiplex pariter esse potest, quandoque etiam femina (b).

Hos quidem omnes possemus jure contemere, nisi iis arma suppeditasset rationalistæ, qui fucatae cujusdam eruditionis apparatu totam Messianismi ut vocant, aut Christologiæ Judæorum doctrinam labefactant. In istorum enim hypothesi non esset Messias nisi fundator aut conditor cujusdam idealis regni felicissimi quasi auræ ætatis a prophetis varie descriptæ et genti judaicæ promissæ, tum maxime illius verorum Dei cultorum societatis ad honeste beateque vivendum in terrarum orbe instituendæ, et in vita futura continuandæ novaque felicitate ornandæ; cujus spei semina in V. T. libris sparsa reperiuntur (c).

Ut igitur ejusmodi commentis obviam eamus, et fundamentum præjiciamus eorum, quæ in priori hujus tractatus parte disceptanda erunt, duo à nobis constituenda sunt: primo quidem ostendendum est aliquem Messiam fuisse a Deo promissum et quovis tempore ab Hebræis expectatum: secundo promissum hunc Messiam peculiarem, unicum ac determinatum esse. Postremum enim error,

(a) Hist. des institutions de Moïse et du peuple hébreu par J. Salvador. Paris 1828. t. III. sec. part. liv. IV. Des prophéties politiques de Moïse et des Messies.

(b) Recolantur quæ scripsimus vol. II. tract. de Deo n. 237. n. (b). Cf. Rosmini op. c. Frammenti di una storia dell' empietà Mil. 1834. p. 163. « Una nuova forma, inquit, di questa antica deificazione della carne, parmi quella che usano i sansimoniani, quando dicono di andar cercando non pur la femina libera, ma la femina Messia. Il loro capo nell' udiencia de' 28 Agosto 1832. dove fu condannato egli e la sua setta come rei di pubblica oltraggiata morale, non dubitò di dire: che egli credeva essere il precursore di questa femina Messia, come s. Giovanni è stato per Gesù!! »

(c) Ita passim rationalistæ et biblici neoterici Cf. Wegscheider Inst. theol. christ. dogm. § 120, n. (i), qui tamen perperam pro hac sententia citat Schoetgenium, qui e diametro ipsi adversatur, ut postea videbimus. B. Koppe in Novo Test. græce perpetua annotatione illustrato Götting. 1791, vol. VI. excursu I, ad epp. ad Thessal. de regno Christi in N. T. formulis θεοκρατίας Θεοῦ, etc., non aliam Hebræis regni Messiam ideam inhassisse, quam regni temporalis theocratici modis omnibus evincere nititur, et quod magis mireris p. 108, hæc eandem opinionem Jesum ipsum concepsisse!

qui versatur circa Messiam qualitatem commo- dius disjicietur, cum recurret sermo de ejusdem munis et officiis.

PROPOSITIO PRIMA.—*Aliquis Messias fuit a Deo in lege promissus et quovis tempore ab Hebræis expectatus.*

Aliquis enim Messias fuit a Deo in lege (a) promissus atque ab Hebræis quovis tempore expectatus, si I. id perspicua ostendant scripturarum, præsertim vero Pentateuchi oracula; si II. id ipsum confirmetur ex perpetua ac nunquam interrupta Hebræorum tum antiquorum tum recentiorum traditione, nec non traditione omnium ferme populorum.

Jam vero ad scripturarum oracula quod attinet, nota sunt, quæ Gen. III. 15. Deus serpenti, seu potius dæmoni sub serpentis larva latenti comminatus est illis verbis: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conferet caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus ». Quæ verba merito passim προτετευρηθησιν vocantur, illis siquidem primo Deus spondit per semen mulieris caput deceptoris, dæmonis nempe, aliquando contritum iri, hominem autem in libertatem asserendum ab illa servitute, in quam misere per peccatum se conjecerat, prout oraculum istud universa intellexit antiquitas. Etenim Sap. II. 24. legitur, quod invidia diaboli mors intraverit in orbem terrarum; Christus pariter Jo. VIII. 44. diabolo protoparentum lapsus adscribit; clarissime vero Apoc. XII. 9. « Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem » (b). Hinc passim a Judæis malorum dæmonum princeps serpens velus vocatur (c). Documenta, quæ evincunt eandem traditionem viguisse apud antiquos Asiæ populos suo loco dedimus (d). Nullum itaque dubium esse potest quin cit. loco agatur de lapsu, ad quem protoparentes a dæmone inducti sunt, ac propterea de eorumdem, imò totius humani generis a peccati ac dæmonis servitute futura liberatione per promissum Salvatorem seu Messiam (e).

(a) Sub generali legis nomine, ut notum est, veniunt quinque Moysis libri, atque hoc sensu adstruitur propositio.

(b) Καὶ ἐβλήθη ὁ δράκων ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, ὁ καλοῦμενος διάβολος, καὶ ὁ σαταῖας, ὁ πλάτων τῆς οἰκουμένης διην.

(c) מקדמוני הנהגה loca e scriptis Judæorum collegit Eisenmenger in op. inscripto: Das entdeckte Judenthum seu « Judaismus detectus, » vol. I, p. 822.

(d) Tom. III. n. 580 not. (a).

(e) Eruditam dissertationem de hoc argumento dedit Cornet. de Hase inscriptam « De protevangello paradisiaco Diatribæ » in novem capita distributam, et hoc ut vocat oraculum oraculorum omni ex parte versat ac tuetur. Prostat in Thesaurio theologico-philologico sive Sylloge dissertationum, etc. Amstelod. 1701, vol. I, fol. pag. 67, seqq. Cf. etiam Sherlock. « L'usage et les fins de la prophétie, » trad. de Fagel, Paris 1754, tom. I, discours III, pag. 400. Du fameux oracle de la Genèse, III, 15, qui pariter copiose de hoc argumento dissertit. vid. Nicolai S. J. Sul Genesi lez. XXVII, XXVIII. Perperam Ammon Bill. Theol. II, 49, seqq. hoc vaticinium protevangeli nomine insignitum de universo hominum et serpentum